

**USR LOMBARDIA- CUSL (Consulta Universitaria di Studi Latini)**  
**Certificazione delle Competenze della Lingua Latina 2018**  
**LIVELLO B2**

01. Eodem anno<sup>1</sup> Cheruscorum gens regem Roma petivit, amissis per interna bella  
02. nobilibus et uno reliquo stirpis regiae, qui Romae habebatur, nomine  
03. Italicus. Paternum huic genus e Flavo, fratre Arminii, mater ex Actumero,  
04. principe Chattorum, erat; ipse forma decorus et armis equisque in patrium  
05. nostrumque morem exercitus. Igitur Caesar<sup>2</sup> eum auctum pecunia, additis  
06. stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capessere: illum primum Romae  
07. ortum nec obsidem, sed civem ire externum ad imperium. Ac primo laetus  
08. Germanis adventus fuit, atque eo quod nullis discordiis imbutus pari in omnes  
09. studio ageret celebrabatur, colebatur, modo comitatem et temperantiam, nulli  
10. invisa, saepius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans. Iamque apud  
11. proximos, iam longius clarescebat, cum potentiam eius suspectantes qui  
12. factionibus floruerant discedunt ad conterminos populos ac testificantur adimi  
13. veterem Germaniae libertatem et Romanas opes insurgere. Adeo, dicebant,  
14. neminem iisdem in terris ortum qui principem locum impleat, nisi exploratoris  
15. Flavi<sup>3</sup> progenies super cunctos attollatur? Frustra Arminium praescribi: cuius si  
16. filius hostili in solo adultus in regnum venisset, posse extimesci infectum alimo-  
17. nio, servitio, cultu, omnibus externis rebus.

<sup>1</sup> *Anno quadragesimo septimo ab incarnatione Christi*

<sup>2</sup> *Scilicet Claudius*

<sup>3</sup> *Flavus apud Romanos stipendium meruerat: qua re a Cheruscis proditor ducebatur*